



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

5. Columnæ VII. in Domo Sapientiae quâ Triclinio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ſus; circumfers tecum eburneas capſulas plenas odora-
 mentorum; e quibus mira ſuavitas in omnem partem
 diffunditur. Non eſt igitur inſolens, per Domum Sapi-
 entiaſignificari in regia Imperatricis illius Triclinium,
 quod Romanis etiam Diata, Cœnatio, & Cœnacu-
 lum dicebatur, locus ad cœnandum, ſeu ſumendum ci-
 bum idoneus: nam & prandere inibi ſolitos reperio.

ARTICULUS V.

COLUMNÆ SEPTEM

In Domo Sapiencie, quâ Triclinio.

QUOD ſubjungitur à Salomone, *excidit columnas ſeptem*
 quod Septuaginta legunt, *ſubdidit Syrus, erexit;*
 Chaldæus, *Statuit in eâ;* Arabicus, *fecit eam inniti ſeptem*
columnis, non eſt alienum à Triclinii, ſeu Cœnaculi archi-
 tecturâ: ſive per ſeptem intelligantur indefinitè plures,
 ſive præciſe tot, & non plures. Siquidem non Hebræo-
 rum modò, ſed Romanorum quoque & aliarum gen-
 tium cœnationes vel columnis tanquam fulcris & baſi-
 bus ſuperædificabântur, vel ordine diſpoſitis ornabantur:
 immò, præcipua ſtructuræ pars in cœnaculis erant Co-
 lumnarum ordines. Præter ornatum, ad uſum etiam
 erant Columnæ, quæ in Triclinio erectæ, vela & aulæa
 ſuſpenſa habebant, ad menſam obtegendam, ne quid
 pulveris aut ſordium ſuper epulas incideret, vel ad ſola-
 res radios avertendos.

Huc facit narratio, quam texit auetor ſacer Eſtheris
 primo, ubi Rex Aſſuerus iuſſit *ſeptem diebus convivium præ-*
parari in veſtibulo horri, & nemoris, quod regio cultu & manu

con-

conscitum erat. Et pendebant, inquit historicus, ex omni parte tentoria ac varii coloris, & carbasini & hyacintini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant & columnis marmoreis fulciebantur. Lxxta paullo explicatius super funibus byssinis & purpureis, super cubos aureos & argenteos super columnas parvas & lapideas. Nominant Κίβυς, Vitruvius vocat taxillos, qui pyramidibus, pilis, & ingentibus molibus, ut firmius insistat, substruuntur. Jam concipe Domum Sapientiae, ut Triclinium, quod ut esse amplissimum, firmissimum, ornatissimumque SAPIENTIA excidit, id est, è rupe succidit, dolavit, polivit, erexit, stabilivit, & supposuit Columnas mystico numero, septem, qui omnem designat perfectionem, quam continet DOMUS SAPIENTIAE.



NOTÆ.

§. I. DOMUS Sapientia, Triclinium.] Auctores, Galatinus, lib. 3. de Arcanis fidei, cap. 3. Aben. Ezra, Salazar, Cornelius in Prover. De Triclinio legendus Fulvius Ursinius & Alph. Ciacconius.

§. II. Mos differendi in Conviviis, jucundè, eruditè, sapienter, parabolicè, ænigmaticè, moraliter, habetur ex Athenæo, Platone, Macrobio, Plutarcho.] Consulendi ex recentioribus, præter nominatos, Nicolaus Serarius Esdra 1. à quæst. XII. & Judicum XIV. ubi de convivio nuptiali Samsonis, à quæst. XII. usque ad XVII. commentatores Ecclesiastæ VII. ubi Joan. Lorinus.

§. III. ÆDES.] Dicitur Ædes ex Servio, ab Edo nam quædam sunt nomina, quæ initio diphthongum recipiunt, quamvis à verbo monophthongo deriventur, ut ædes, æsculus. Varro lib. 4. de ling. lat. ab aditu fieri putat: quod scilicet plano pede adibantur unde etiam prima syllaba diphthongum accepit, Festus: Ædes quod in edito poni soleret. Alii Ædem dici existimant, quod in ea ævum degatur, quod Græcis ἀειον dicitur.

§. I. V

§. IV. Vfus *Columnarum in Tricliniis,*] Apud Plautum, qui Triclinium jubet apparari, ita edicit.

Ius in columnis deijciet operas aranearum?

Ius in splendorem dari bullas has foribus nostris?

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:

Verte pavimentum, nitidas ostende columnas,

Arida cum tota descendat aranea tela,

Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter.

Juvenalis.


Ad tentoria velaque in Triclinio referri possunt illa Horatii.

Interea suspensa graves aulea ruinas

In patinam fecere trahentia pulveris atris

Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Columnæ sunt fulcra & bases, quibus Sapiencia Domum suam superædificat. Exempla habemus in Architectura Romana. Romæ templa S. petri S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, B. Virginis Majoris, S. Cæcilie, & aliorum quorundam Cælitum, Columnis è marmore excisis, iisque plurimis & magnificis insunt, ac sunt inædificatæ.



SER. IV,